DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HYDROTHORACE

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN ARTE MEDICA ET CHIRURGICA HONORIBUS

RITE ADSEQUENDIS

PRIDIE CALENDARUM JUNII A. MDCCCXVII.

PUBLICE DEFENDIT

AUCTOR

JOANNES GODOFREDUS LEHMANN
LEITZKAVIA - MARCHICUS.

BEROLINI, MDCCCXVII.
TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

ERUDITISSIMO, EXPERIENTISSIMO

FRIDERICO HUFELAND

DOCTORI MEDICINAE AC CHIRURGIAE, PROFESSORI ORDINARIO PUBLICO IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA ATQUE EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE BEROLINENSI, ETC.

AUCTOR.

Prooemium.

Ex omnibus, quibus homines affliguntur morbis, ad dissertationis meae materiam eum praecipue elegi, qui non solum periculi quocum est conjunctus, sed etiam frequentiae causa, qua nobis occurrit, jure meritoque primum obtinet locum, omnique nostra dignus est attentione: hydrothoracem dico. —

§ 1

Omnium hydropum, hydrocephalo excepto hydrothorax morbus est periculosissimus, maxime diuturnus, cumque maximis molestiis conjunctus Nullis exceptis, quamvis aetatem, quodvis genus invadit. Hoc morbo tam divites quam pauperes laborant, vaporibus plenarum regionum incolae magis, quam ii, qui arentibus gaudent terris Plurimi eo laborantium morti occumbunt, pe paucique tantum ad bonae valetudinis statum re deunt. Proposui igitur mihi, quoad humeri va leant, medicinae auxilia contra hunc morbum ex plicare. —

§ 2

Morbi definitio et ortus.

Hydrothorax est congestio praeternaturali humorum lymphaticorum, aquosorum in thorac cavo, quos vario modo orientes videmus. Omn bus humani corporis cavis sanguinea lymphaticaqu vasa insunt, id quod nos anatomia, observation

curiosae et indefessum illustrissimorum virorum studium recentioris aevi docuerunt. Arteriarum tenuissimarum ope, omnia humani corporis cava colluvie exhalationis aquosae statu normali lubricantur, ne partes inter se coëant, quae tum vasis lymphaticis resorpta, sanguini iterum adducitur.

In thoracis cavo hanc exhalationem videmus auctissimam, dum cor, omni quae ei est vi, sanguinem per totius corporis vasa proxima ejaculat, eoque vasa lymphatica in his magis irritat, quam in aliis cavis. Pulmonum superficies interna atmosphaera affectu, sua ipsius exspiratione magnam huius exhalationis aquosae copiam eiicit, praecipue hieme per oris nariumque cavis propulsam, quae quasi nebula cernitur crassa et quidem multa majore vi, quam ex omni cetera cutis superficie. Quae crassiores exhalationes in humani corporis cavitatibus plane nobis sub specie liquoris aquae similis, in morboso statu et post mortem, inprimis, si corpus algorem induxit, apparent.

Si autem exhalantia vasa plus harum exhalationum aquosarum reddunt, quam resorbentia excipere possunt, aut exhalatio praeter naturam aucta, resorbentibus vasis autem normalibus, aut functio eorum laesa vel ex toto suppressa est, fieri necesse est, ut colluvies aquosa in cavo thoracis, quam dicunt hydrothoracem, oriatur.

§ 3

Varia morbi sedes et denominatio.

Angusti limites dissertationis, thoracem visceraque eius cum fusius describere non permittant, paucis tantum partes locaque in hoc morbo affecta hic enarrare licebit.

Pleura, quae internam concavam superficiem costarum, musculorum intercostalium, diaphragma, sternum, vertebras dorsi, convexamque pulmonum utriusque lateris superficiem obducit, in utroque latere saccum format, cui pulmones sunt inclusi. In medio utriusque sacci pericardium est, quod cor includit, saccisque pleurae brevi tenuique tela cellulosa conjunctum.

Spatium, quod ante pericardium poneque sternum adest, cavum mediastini anterius nominavere, in quo vasa mammaria interna, glandulae sternales et glandula thymus situm habent.

Spatio pone pericardium et ante dorsi vertebras, cavi mediastini posterioris nomen dederunt, in quo trunci arteriarum venarumque, vena azyga et hemiazyga, ductus thoracicus, arteria aspera, nervus vagus, phrenicus et sympathicus sedem habent. Ex his descriptis membranis sacci formantur, in quibus liquor colligitur. Varia loca aquam continentia morbo varia dederunt nomina, quia varia eorum symptomata animadvertimus, variisque iisdem medendi methodis opus est.

Aqua extravasata, si in pleurae saccis colligitur, hanc aquae colluviem hydrothoracem appellamus, id quod aeque in uno, ac ambobus saccis locum habere potest. Aquae colluvies in pericardio, hydrops pericardii, quae vel sola adest, vel hydrothoraci una conjuncta est, eadem in tela cellulosa pulmonum ipsorum, hydrops pulmonum, colluvies in regione bronchiali, hydrops bronchialis, in mediastino tam anteriore quam posteriore hydrops mediastini, ea inter externam pleurae superficiem inter costas atque intercostales musculos, anasarca thoracis, oedema thoracis, interque pleuram et diaphragma, hydrops diaphragmaticus, si aqua in singulari sacco inclusa est, hydrops saccatus.

Quoad signa, morbus in acutum et chronicum dividitur. Hydrothorax acutus subito oritur, crescit et decrescit celeriter. Chronicus tarde symptomatibusque mitibus, hic saepius occurrit quam ille, saepius symptomaticus quam idiopaticus.

§ 4

Causa proxima duplex est.

a) Vasorum exhalantium secretio aucta et liquoris resorptio integra.

b) Secretio normalis, resorptio autem diminuta vel ex toto sublata. Quod sequitur necesse est ut hydrops sit.

Remotae causae multiplices variaeque sunt, omnia nocentia, quae in universum hydropem

efficere possunt, originem quoque dant hydrothoraci, attamen nonnullae prae ceteris.

Aucta secretio oriri potest, si venae sanguini, dum redit ad dextrum cordis sinum, impedimenta struunt, quo tum fit, ut sanguinem arteriae non ad venas ducere possint. Obstructiones pulmonum, partes magnorum vasorum in ore solidatae, extentiones arteriarum venarumque efficere queunt, nec non externus pectoris compressus, thoracibus linteis e. gr., qua ex caussa nonnulli v. c. Jäneke contendunt, hydrothorace sexum sequiorem praesertim affici. Pulmonum pleuraeque inflammationes exsudationibus finientes etiamque tubercula in pulmonibus, quibus vasorum pulmonalium obstructio nascitur, qua circulatio reditusque humorum impediti plethoram topicam concitant, qua sanguinis affluxus in extremitates vasorum parvorum et exhalatio augetur; ad hydrothoracis causas referri possunt. Praecipue vero suppressae haemorrhagiae solitae, exanthemata, nimiae et saepe iteratae venaesectiones, epistaxis, haemoptysis, nimiae haemorrhagiae post partum et praesertim vasorum debilitas hydrothoraci favent. Omnia porro quae tonum fibrae deminuunt et debilitant, hydrothoracem praedisponunt: aër humidus et frigus, vita sedentaria, diaeta aquosa, nimis calidae subtiles-

que potiones, domicilia humida, cubitus in terra locis humidis etc.

Secretio praeter naturam augetur, sanguis si plus seri quam cruoris continet, vel si vasis secretoriis aliena corpora insunt, circulationi impedimenta faciunt, ut lapides in uretheribus vasorum lymphaticorum, rupturae; porro, ex aliis morbis, ut ex asthmate humido, aneurismatibus, catarrho chronico, arthritide retrogressa, rheumatismo, lochiorum et mensium, haemorrhoidum suppressis excretionibus, herpete aliisque exanthematibus, inveteratis vulneribusque incaute sanatis hydrops nasci potest.

§ 5
Morbi complicationes.

Ut morbus simplex hydrothorax rarissime nobis offertur, nisi ex vitiis organicis ortus. Morbi jam praecedente § 3 descripti comitantur eum quoque propagatum. Stahl dubitat hydrothoracem morbum communem esse posse. Idem vir celeberrimus, Cullen, aliique contendunt hydrothoracem simplicem morbum occurrere, attamen raro, quod obductiones docuerunt. Hydrothorax cnm manuum pedumque oedemate, ascite et anasarca, inprimis autem hydrope pericardii sicut tabe, arthritide, scrophulis, ictero, lue venerea, scorbuto aliisque morbis pluribus coniunctus esse solet.

§ 6

Morbi decursus.

Initium morbi respiratio difficilis et facil dyspnoea in situ horizontali crescens faciun quibus fortis tussis sicca, saepe cum glutinos sputis socia accedit et oedema manuum pedun que. Aegrotantes melius sicco, frigido aëre s habent, quam humido. Levis ipsa a frigore or injuria asthmaticum statum augere potest. A grotus volutatur, neque uno nec altero latere n dorso iacere potest. Quod si uni thoracis late aqua inest, laborans sine molestia in eo cubat, qu aqua adest, si autem in utroque latere aqua es nec uno nec altero nec dorso quiescere potes sed oportet eum plurimum erectum corporequ prorsum inclinato sedere, quo aliquid levamini sentiat.

Sensim sensimque haec singna magis prodeunt colluvie aquae aucta, somno excitatus aeger, in primis brevi post somnum obrepentem, cum magno angore, vehementibus suffocationis in commodis frigidis extremitatibus, quibus patiens lectum relinquere cogitur. Ab initio haec molimina rara obveniunt, plures noctes intermittentia in crescente morbo autem stadioque ultimo apparent, quoties laborans obdormuit, quo magna defatigatio sequitur. Plures medicorum exempli gratia: Cullen et Frank haec signa putant certa.

Frank fontem vitia cordis organica esse dicit, eaque ocum habere corde ipso affecto.

Sicca brevis viresque absumens tussis per-pauco aquoso pituitoso sputo juncta. Aegrotus lolore, singularique tendente inter vertebras sensu orquetur, qui interdiu brevi tempore evanescit, noctu vero vehementior apparet; superiorum ex-remitatum oriuntur paralyses saepe caloris sensu unctae. Porro spasmi, anxietates, animi deli-quia, flatus, cordis palpitationes, suffocationis mo-imina etc., post quae, si aegroti lectum relin-quentes surgunt, in diaphragmate gravitatem et post leves modicasque motiones aquae fluctuatio-nem sentiunt. Thorax tollitur vel in toto ambitu vel solum in uno eius latere, prout aqua uni al-terive lateri inest.

Superiores extremitates praesertim manus et acies intumescunt; in scroto et toto corpore praecipueque in pedibus oedema apparet; leva-mine dictorum signorum apparente, junctum non aro auditum difficilem et cataractam animadver-imus. Sub morbi finem, pulsus fit parvus, irre-gularis, sitis aeque vehemens ac in ascite. Urina varii caloris est postremumque sedimento lateritii coloris mixta. Interdum morbo in eius decursu affectio inflammatoria sociatur, ut pulmonum pleuraeque inflammationes tandemque corpus ma-cescit, digestione magis interrupta, et aegrotus aut suffocatione aut apoplexia moritur.

Initii et decursus hydrothoracis ratio, u modo descripsi, est; complicationibus autem cur aliis morbis, epidemica constitutinne, individu ipso, aliisque conditionibus mutatur. Diagnosi hydrothoracis multa nobis offert obstacula, cur morbi initium, ubi medicorum opem exspectar possumus, raro cognoscatur.

Celeberrimi omnes aevi viri concedunt, hu ius morbi diagnosin, qui catarrho, asthmati, pu monum tuberculis, vomicae, puri vel sangui in thoracis cavo prope accedit, non solum diffic liorem reddi, verum etiam saepius omnino pe scrutari non posse.

§ 7

Explanatio symptomatum iu specie.

Congesta et perseverans humorum mass perpetuum efficit incommodum, dum in partes so lidas vim suam repellentem prae se fert, pulmo num, cordis, praecipueque diaphragmatis functio nes impedit et abdominis organa per consensun afficit. Noctu molestia augetur, aegroti subito somno excitantur, cum periculo suffocandi et non nisi erecto sedèndo, corpore prorsum inclinato aliquid levaminis habere possunt. Quaevis acci dunt, plerumque impedito sanguinis circuitu eiusque impetu in pulmones oriuntur, quorun extentio aquae colluvie aut vitiis organicis tur

batur. Si aegrotus resupinus situ horizontali cubat, congestio ad pulmones augetur, respiratio brevis et accelerata est, oritur tussis cum suffocatoriis incommodis usque ad tempus, quo aegrotus, iterum erecto corpore sedendo, levatur. Plurima auctorum pars haec signa pathognomonica in hydrothorace constante agnoscunt, sed nocturna dyspnoea in aliis etiam morbis, ut in asthmate spastico periodico occurrere potest, in quo paroxysmi etiam noctu incidere possunt. Quum autem asthma chronicum hydrothoraci saepe antecedit, aut simul ei juncta est, diagnosis hydrothoracis multis difficultatibus comitatur. Puris vel sanguinis colluvies in thoracis cavo facile cum hydrothorace confundenda est, cum vero haec celerius, externisque violentibus ictibus, ut costarum fracturis, in pectus ictibus post pleuritides et peripneumonias oriri soleat, attamen facilius quam hydrothorax agnoscitur, difficilius contra tubercula et vomicae pulmonum, quae quidem diu perseverare possunt et saepissime hydrothoraci juncta sunt. Eodem modo pulmonum phthisis saepissime, fere semper hydrothoraci juncta est. Fluctuationem strepitumque aquae jam Hippocrates animadvertit.

Cullen, Stahl, Vogel plerique alii dicunt, sub morbi finem, quo aquae colluvies insignis est, una manuum juxta sternum in costas ponenda

esse, quo tum manu ex adverso admota, si aqua versus costas musculosque intercostales agitur, fluctuatio eius animadverti liceat.

Bell commendat, aegroti humeros a viro praevalente firmiter teneri saepiusque eum ultro citroque moveri, tumque fluctuationem plane palpandam esse, aut si aegrotus mane ieiunus subito e situ horizontali surgere cogatur, hunc etiam motum sentire dicitur.

Quod si unum vel alterum thoracis cavi latus aquam continet, aegrotans quoque agitari circuma-gique non patitur. Auenbrugger concussionem pectoris commendavit. Si aqua tantummodo uni pectoris latere inest, incutiendo in morbosum latus sonus impleti vasis instar obtusus, in altero non affecto vacuo vasi similis esse dicitur. Utroque lateri aqua si inest, sonus pulsando est obtusus. Quo experimento capto, Reil pluresque alii medici illustres hoc signum nunquam quoad diagnosin fallere contendunt. Cordis palpitatio tum solum in hydrothorace locum habet, si etiam pericardium aquam continet, aut alio modo consensu afficitur, eaque etiam aliis morbis hydrothorace vacuis associatur.

Oedema manuum in ultimo denique vitae stadio incipit; si vero uni tantum thoracis cavi lateri aqua inest, oedema affecti lateris fortissimum dicunt. Frigoris sensus qui in

tho-

thoracis cavo aegrotis erectis in diaphragmate apparet, hypochondria intumescentia, si aquae magna copia thoracis cavum implet, diagnosin faciliorem reddere possunt.

§ 8

Prognosis hydrothoracis haud sane laeta et dubia est, exitu paene semper laetali, quia aquae colluvie praecipue ad vitam maximopere necessariorum organorum functiones turbantur abdominisque organa consensu afficiuntur, nulla hydropum species toties porro recidiva quam hydrothorax, inprimis si topica thoracis cavi vitia magna pulmonum debilitas, senectus etc. ei originem dederunt. Bonum solemus tum exitum exspectare si morbus post communes causas ortus est, ut post refrigerationem, arthritidem retropulsam, rheumatismos, exanthemata, scrophulos, luem veneream, solitas suppressas haemorrhagias metastasesque alias. Sensus in brachiis deficiens, eorum, praecipueque manuum tumor, tussis fortis, cum cruentis, pituitosis, puri similibusque sputis juncta, expergefactio subita noctu, continuus situs erectus, facultas jacendi impedita, appetitus defectus, macies, febris lenta hectica, omnia haec iisque similia; certa appropinquantis mortis sunt signa.

§ 9.

Medela.

Indicationes medicatrices, quibus hoc morbo sanando satisfecere nos oportet, eaedem, quae in hydrope universali.

a. Causae remotae depellendae. Haec medelae indicatio nunquam negligenda est, quia causis remotis sublatis, saepe evanescit hydrops. Aeque causae hydrothoracis diversae sunt ac methodos medendi varias indicant, quas therapia generalis extensas demonstrat, hic autem proferre tempus non sufficit.

b. Humor effusus evacuandus, quibus absorptionis organorum vires augemus. His medicaminibus diuretica, diaphoretica, purgantia et emetica adnumeranda sunt. Corporis vero habitus, morbi progressus et nisus naturae, quibus organis humorem excercere studet, medicum medicamina eligere docent. —

a. Diuretica praecipue in corpore debilitato omnibus aliis anteponenda sunt medicamentis. Ad mitiora referenda sunt salia neutra et media, liquor Kali acetici, ammonium muriaticum, tartarus depuratus, praecipue ammoniacum gm., aqua calcis vivae, fontes medicati gas carbonicum continentia etc. Diuretica efficacissima sunt scilla maritima, digitalis pur-

purea, senega, nicotianae extractum, acetum et oxymel scillae, tinctura et pulvis cantharidum, meloë proscarabaeus et majalis, omnia balsama naturalia etc.

b. Diaphoresis indicatur, cum hydrothorax a morbis suppressis et repulsis et suppressa cutis functione originem trahit. Optimis diaphoreticis sunt adnumerenda, antimonialia, camphora, liquor ammonii succinici, liquor ammonii acetici, olea aetherea, infusa theiformia, sambuci, stipitum dulcamarae, florum et radicum arnicae, ipecacuanha, opium, pulvis ipecacuanhae compositus etc.

c. Purgantia, quae tamen caute et tantum vigente corpore adhibenda sunt, praecipue viribus adhuc non fractis morboque recente et saburra primarum viarum orto. Salia media maxime utilia se praebent, duplice enim modo vi diuretica et purganti agunt. Drastica rarissime hydrothorax admittit.

d. Emetica caute adhibenda, quae si satis virium conspexeris, refracta dosi usque ad nauseam dentur.

e. Externis, praecipue si colluvies nimia et ipsius indoles coagulabilis, aut spissa est et si aegrotus summo in periculo versatur, utendum. Paracenthesis primum locum tenet, saepe aegroti vitam prolongat, morbum le-

viorem reddit, interdum plane tollit. Egregiam operationis explanationem Hippocratis opera suppeditant.

Fonticuli et setacea ad pectus applicanda et vesicatoria et scarificationes nonnunquam prosunt, praecipue hydrothorace a morbis retropulsis orto.

Medicamina inprimis actionem systematis lymphatici augentia, ut unguentum merculiale haudquaquam negligenda sunt. Venaesectio quoque optimum interdum locum sibi vindicat et quidem in hydrothorace a suppressis haemorrhagiis consuetis seu plethora orto aut in vera plethora, aetate et juvenili etc. tamen parca manu sanguis emittendus est. Partium robur restaurandum, quod saepissime efficere nos oportet. Medicamina idonea sunt, extracta amara, quassiae, trifolii fibrini, Absinthii, gentianae rubrae, china, salep, sago etc.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego, Joannes Godofredus Lehmann, decimo ertio ante Januarii calendas die, anno millesimo eptingentesimo nono Leitzkaviae prope Burgum atus sum, patre cive honesto gaudens.

A septimo aetatis anno usque ad decimum uintum in illius oppidi schola privatimque ab cclesiastico in literarum elementis institutus im.

A decimo quinto usque ad vigesimum rimum annum patri in negotiis gerendis adfui, ense augusti anni millesimi octingentesimi un- ecimi, parentibus annuentibus, Berolinum mi- avi, ut ibi medicinae et chirurgiae operam arem.

Mense septembris a. cel. Bellermannio Gymnaii Berolinensis directore examinatus, decimo tertio die ante Januarii calendas universitatis civibus adscriptus sum.

Semestri hiberno sequenti praelectionibus cel. Knapii, professoris, de osteologia, syndesmologia et splanchnologia, cel. Rudolphii, professoris de anatomia universali interfui.

Aestate, anni millesimi octingentesimi duodecimi praelectiones physicas et chemicas cel. Turtii, professoris, cel. F. Hufelandii professoris de pathologia speciali, cel. Mursinnae professoris, de fracturis et luxationibus audivi.

Hiemi anni millesimi octingentesimi decimi tertii a cel. F. Hufelandio semiotice et therapia generali, a cel Mursinna operationibus chirurgicis, a cel Graefio, professore, chirurgia speciali institutus sum.

Mense februario, huius anni bello contra Franco-Gallos exorto, studiorum meorum cursum interrumpere coactus, ab hoc inde tempore usque ad mensem aprilis anni millesimi octingentesimi decimi quarti chirurgi munere functus sum.

Aestate eius anni praelectiones cel. F. Hufelandii de therapia speciali easque Osani, professoris, de physiologia generali, specialique; Turtii, professoris, de chemia frequentavi.

Mense junio velitum regiorum agmini chir-

rgus adscriptus, hac in urbe remanens, scholas cademicas frequentare perrexi.

Hieme sequenti lectiones cel. Mursinnae de eligatione deque operationibus chirurgicis cel. napi de medicina forensi audivi, cadaveribusque ecandis operam dedi. Mense januarii anni milsimi octingentesimi decimi sexti munere militri dimissus. C. W. Hufelandi institutionibus inicis medicis, iisdemque chirurgicis cel. Graefii, iemeque sequente, cel. Hornii exercitationibus inicis interfui, nec non cel. Klugium artem obetriciam docentem audivi.

Tertio ante Januarii nonas die C. W. Hufend, decanus universitatis Berolinensis, me tenivit.

Examine rigoroso eorum gratioso medicoım ordine peracto, nil obfuturum esse spero, uo minus summos mihi in medicina honores npertiantur.

THESES.

I.

Methodus nutriens et roborans in phthisi pulmonali exulcerata nocet.

II.

Arthritis morbum sui generis constituit, cum rheumatismo minime confundendum.

III.

In quibusdam hydropis speciebus antiphlogistica, immo venaesectio, sunt adhibenda.

IV.

Inter diuretica certa et efficacia scilla maritima primum videtur mereri locum.